



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

2. Omnibus Sanctorum membris, in resurrectione, suum decorem futurum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

tia, & oculos in pectore gerentia, ac vno prædita, ferendi Euangelij causa, profectum, cum nosset, ea gentilitatis errore implicata, & ratione alicuius, tamen falsæ religionis, duci. Docentq; etiam Morales Theologi, ea monstra, quæ præcipua membra humana motusq; humanos habent, baptizanda. Quorsum? nisi vt salutem æternam consequi possint?

Quod si ergo ita se gerant hæc monstra, vt celo digna inditentur, resurgunt vtique, in die resurrectionis, membris in decoram celoq; dignam formam reformatis; vt tradit idem Augustinus; neque obscure insinuat Apostolus dicens: *Cum Christus apparuerit, vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso, in gloria, corporis scilicet, & animæ.* Quæ autem gloria foret, monstruosum esse? Nunc quidem elegans anima potest in formi corpore tegi, sed tunc gloria & corpus, & animam circûdabit. *Delitescit margarita, inquit ex S. Chrysostomo Theophylactus, tantisper, dum in conchyli fuerit; simul ac verò illud fuerit perfectum, tum in gloria relucet. Hunc ad modum & nos, quam diu in corruptibili isto corpore fuerimus, tanquam latentes vivere debemus, & ab omni gloria cupiditate alieni. Quando autem dissolutum fuerit hoc corruptibile, tunc gloria nostra suus erit locus, si hac digni fuerimus.* Quin & alio loco affirmat, nos occursum Christis, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Quod cum S. Augustinus accipiat etiam de ætate, in qua omnes resurgemus, cur non etiã de corpore perfecto, glorioso, licet non æquè glorioso, intelligamus? Differt enim Sanctus à Sancto, sicut stella, à stella. Prudentius Christianus Poëta ita canit:

*Qui reparat corpus, non reddet debile quicquam,
Nam si debilitas redit, instauratio non est.
Quod casus rapuit, quod morbus, quod dolor hausit:
Quod truncauit edax senium, populante veterno,
Omne reuertenti reparata in membra redibit.*

Duplex tamen hic defectuum discrimen animaduerto. Sunt enim aliæ corporum deformitates ex defectu naturæ, siue ex vtero matris hominibus agnatæ, siue aliunde contractæ, vt gibber, lippitudo, claudicatio: aliæ, aut per iniurias hominum;

Zzzzz 3

aut

II,

S. August. in
Enchir. ad
Laurent. c. 87.
& 91.
Coloss. 3. 4.

Theophyl. in
Ep. ad Co-
loss cap. 3.

Ephes. 4. 13.
S. August.
lib. 22. ciuit.
cap. 10.

III,